



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Rain. Canonico Ferentinati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tionem ducatus pertinent vice nostra respondeant & tuæ penitus ordinationi intendant. Præterea quia , sicut ex literis tuis & dilectorum filiorum Amalphitanorum atque Scalensium nostro est apostolati referatum , quidam proventus regios pignori detinent obligatos , alij per privilegium sibi dicunt fore concessos , volumus & mandamus ut cùm nos consuetudinum regni plenam notitiam minimè habeamus , & nullos velimus in sua ratione gravare , & cum dilectis filiis Magistris Camerariis Apuliae & Terra Laboris vel cum eorū aliquo inquiras diligenter veritatem , & quod statuendum videritis , auctoritate nostra sublatu cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo secundūm approbatam regni consuetudinem statuatis , ita quòd , prout non convenit , alicujus justitia non lèdatur. Ad hæc , quoniam , sicut audivimus , quidam ducatus Amalphia à perfido Marcualdo Regis & Ecclesiæ inimico , maledicto & excommunicato à nobis , sub nomine regio literas repererunt , & quantum in eis est , aliorum fidelitatem nituntur suggestione pessima maculare , nec metuunt se fateri sequaces ipsius , præsentim tibi auctoritate mandamus firmiterque præcipimus quatenus illos quo hujusmodi macula respersos inveneris , usque ad dignam satisfactionem & vinculo excommunicationis adstringas , & temporaliter etiam præsumptionem eorum debita severitate castiges .

R A I N. C A N O N I C O
Ferentinati.

Epiſt. 75.
Ecclesiæ tradi-
non possumus
monasteriis fi-
de licentia
proprii Epif-
copi.

QVerelam venerabilis fratris nostri B. Ferentinensis Episcopi recepimus continentem quòd tu , eo non consentiente , immo contra prohibitionem ipsius , post appellationem ad nos interpositam , Ecclesiam sancti Silvestri , quæ in tua dictatur possessione fundata , sibique diocesana est lege subjecta , cui lapidem dederat benedictum , B. & I. monachis Casemarij præsumpsisti ad opus monasterij assignare. Nos autem monachos ipsos ad nostram præsentiam accedentes super iis corripuiimus sicut decuit , & quod per eos factum fuerat decrevimus irritum & inane. Ne autem alij exemplo tui ejusmodi præsumant de cetero attentare , per apostolica tibi scripta mandamus quatenus infra quinque dies post receptionem præsentium nostro te conspectui repræsentes , nobis super tanto contemptu , si poteris , responsum.

P R I O R I E T F R A T R I B U S
juxta specum beati Benedicti regularem
vitam servantibus.

ACcedentes causa devotionis ad locum quem beatus Benedictus suæ conversionibus primordio consecravit , & invenientes vos ibi secundūm institutum ipsius laudabiliter Domino famulari , ne pro temporalis sustentationis defectu spiritualis obseruantæ disciplina torperet , apostolicum vobis subfidiū duximus impendendum , sperantes quòd idem beatissimus Benedictus nostræ devotionis affectum suis meritis & precibus apud püssimum patrem & justissimum judicem commendabit. Vestris itaque cupientes necessitatibus providere , sex libras usualis monetæ vobis & successoribus vestris de camera beati Petri singulis annis percipiendas concedimus donec in aliquo certo loco vobis fuerint utiliter assignatae , statuentes ut ea quæ ad sustentationem vestram consuevistis percipere de monasterio Sublacensi , vobis & successoribus vestris nullatenus subtrahantur. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis & constitutio[n]is infringere &c. Datum apud monasterium Sublacense Kalendis Septembris.

Epiſt. 76.
Eis concedit
annuatim sex
libras usualis
monetae.

*Vide Bulla-
rium Casiu. to.
2. c. 219.*

O R C H A D E N S I E P I S C O P O.

EX literis tuæ fraternitatis accepimus quòd Lomberd laicus lator præsentium cum Comite suo Catenesiam in expeditione perrexit : ubi castello ab exercitu Comitis expugnato , & imperfectis ferè omnibus qui erant in ipso , captus est Episcopus Catenesiae , cuius ut linguam abscederet à quibusdam , ut dicit , de exercitu Comitis est coactus. Quia verò gravis est & grandis excessus , nos ei secundūm formam Ecclesiæ absoluto talem & ad satisfactionem suam & ad terrorem aliorum injunximus pœnitentiam , ut cum festinatione revertens in patriam , discalecatus & nudus præter bracchias & laneum vestimentum curtum & sine manicis , lingua subtili funiculo religata & paulisper extracta , ut promineat extra labia , summitatibus ejusdem funiculi nexas in collo , cum virgis in manu , quindecim diebus continuis per terram suam , unde ipse est oriundus , & terram illam unde erat Episcopus mutilatus , & circumpositam regionem , videntibus universis , manifeste procedat , veniensque ad ingressum Ecclesiæ , sed nequaquam ingrediens , prostratum in terram

Epiſt. 77.
De Episcopo
Cateneſie , cui
lingua absceſ-
ſa fuerat.
Odor. Raynald.
ad an. 1102.
§. 10.